

## ARTICULUS QUINTUS.

DE LOCO UBI MISSA CELEBRARI POTEST.

Pauca dicenda sunt de origine ecclesiarum, de earum forma, consecratione, pollutione, reconciliatione et necessitate; de imaginibus, reliquiis sanctorum, campanis et aqua benedicta.

## § I. — De ecclesiarum origine.

1<sup>o</sup> In ipsis religionis Christianæ incunabulis specialia exstiterunt loca ubi fideles conveniebant ad frangendum panem: *Una sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem*, Act. xx, 7; *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est cœnam Dominicam manducare*, I Cor. xi, 20. 2<sup>o</sup> Testimoniis veterum Patrum, puta Origenis, Tertull., Eusebii, Constit. Apost., etc., Christiani habebant domos ad cœtus religiosos destinatas: eas non vocabant templa, quia nomen istud magnis ædificiis cultui falsorum deorum consecratis proprium erat; sed illas per nomen suæ congregationis designantes, appellaverunt ecclesias.

## § II. — Forma ecclesiarum.

1<sup>o</sup> Dubitari non potest quin ante persecutionem Diocletiani, anno 303 præcipue furentem, Christiani multas habuerint ecclesias solis muneribus ecclesiasticis destinatas, ut expresse testantur Eusebius, Hist. eccl. l. 8, cap. 1; S. Optatus, l. 2, cap. 20; et auctor Const. Apost. saltem in quarto sæculo scribens, formam ecclesiarum, tanquam ab Apostolis determinatam, describit in l. 2, cap. 57: « Primo quidem, *inquit*, ædes sit oblonga, ad orientem » versa, ex utraque parte pastophoria versus orientem » habens, et quæ navi sit similis. »

2<sup>o</sup> Erat ergo 1<sup>o</sup> oblonga sicut navis, et inde præcipua pars ejus semper vocata est navis, gallice *nef*. Plurimæ tamen ædificatæ sunt ecclesie a Constantino et a S. Helena, rotundæ vel octogonæ, v. g., in Bethleem, in monte Olivarum, Antiochiæ; octogona est etiam celebris capella,

curante Carolo Magno, in loco suæ residentie extructa, adhuc existens, cujus cognomen habuit civitas vulgo dicta *Aix-la-Chapelle*. 2<sup>o</sup> Ad orientem versa. Vetustissimus enim et generalis fuit mos Christianorum respiciendi orientem in orando, quia Christus vocatur *Oriens, Sol justitiæ*; et sol oriens est imago Christi, qui est vera lux mundum illuminans. Nonnullæ tamen, in maxima antiquitate, exstiterunt ecclesie contrarium habentes situm, ut refert Socrates, Hist. l. 4, cap. 22, de Ecclesia Antiochiæ Syriæ, cujus altare occasum spectabat. Talis etiam fuit Ecclesia S. Sepulchri ab Eusebio, l. 3, cap. 37, descripta. Hinc ecclesie ad orientem communiter vertuntur, sed nulla lex hunc præscribit situm. 3<sup>o</sup> Pastophoria apud Græcos idem significant ac sacristiæ apud nos. 4<sup>o</sup> In duas partes cancellis separata erat ecclesia: pars superior, versus orientem, dicebatur sanctuarium: in medio erat solium episcopi, utrinque sedes presbyterorum ac diaconorum, populum respicientium et ante habentium altare, sæpe vocatum *thusiasterium*. Pars ista erat elevata. Eandem formam nunc exhibent ecclesie quarum altare dicitur *à la romaine*. 5<sup>o</sup> In altera parte erant laici cum quibusdam inferioribus clericis; mulieres et viri erant separati, hi in australi et illæ in boreali latere navis sedentes. In medio erat locus elevatus in quo stans legebat lector. Ille locus dicebatur *ambo*, a verbo Græco *ἀναβηνω*, *ascendo*. 6<sup>o</sup> Duæ erant portæ laterales, una pro mulieribus cui præposita erat diaconissa, et altera pro viris ostiario commissa. 7<sup>o</sup> Quando spatium sufficiens erat, pueri utriusque sexus, virgines, viduæ et mulieres distincta habebant loca, et diaconus providebat ut ingredientium quisque locum suum peteret. 8<sup>o</sup> Postea, crescente numero monachorum qui publicis officiis in ecclesia assistebant, et prope sanctuarium collocabantur, majores fabricatæ et divisæ fuerunt naves: pars inferior, ubi sistebant pœnitentes diversorum graduum, catechumeni, energumeni, etc., dicta græce *ναρθη*, quendam significans plantam qua olim magistri manus percutiebant puerorum ad corrigendum eos: huic voci respondet vox latina *ferula*,



unde vox gallica *ferule*, bene nota. Illa ecclesiae pars dicta est *ναρθη* aut *ferula*, quia eis destinata erat qui ab Ecclesia plectebantur, vel sub ferula ejus erant constituti: appellata est etiam *προναος* id est *pronaos*, *avant-nef*: unde vox gallica *prône*, ut supra diximus. Apud Latinos ecclesia in tres partes, sicut hodie, similiter erat divisa, videlicet in sanctuarium, chorum et navem. 9<sup>o</sup> Tres erant portae: una tantum exterior, quae dicebatur magna, per quam intrabatur in narthem seu pronavem; secunda, appellata speciosa, ad ingrediendum in secundam navem, ubi erat ambo; et tertia vocata sancta, ad ingressum sanctuarii.

3<sup>o</sup> Ecclesia igitur recte definitur: *Aedes publica cultui divino permanenter deputata, in qua fideles ad colendum Deum, sacramenta atque religionis subsidia recipienda conveniunt.* Varia sortitur nomina juxta diversas classes ad quas pertinere potest: si praeter alios sit insignis, dicitur *basilica*, a verbo Graeco *βασιλική*, significante domum regiam vel palatium: eo sensu legitur II Paralip. iv, 9, et vi, 13, Salomonem atrium sacerdotum et grandem basilicam fecisse. Nunc communis opinio est quod solae ecclesiae majores, principales ac digniores vocentur basilicae, inquit *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Ecclesia*, art. 3, n. 4. Si episcopi sedem contineat, est cathedralis. In quibusdam locis, v. g., in Italia, simpliciter dicitur domus, sicut in civitate aedes regia, palatium simpliciter dictum, de habitaculo principis intelligitur. Si communitatem habeat clericalem, quae capitulariter congregari et agere possit, cum libero usu sigilli, appellatur collegiata. Cathedrales dicuntur etiam matricae, quia matres et magistrae aliarum ecclesiarum totius episcopatus reputantur, et sic habetur in jure, Decretal. l. 5, tit. 4, cap. 22; matricae etiam vocantur ecclesiae quae alias habent ecclesias aliquo modo sibi subjectas, et subjectae dicuntur earum filiae. Quae habent fontes baptismatis, dicuntur baptismales; et illa quibus praest rector, habens populum sub certis locorum limitibus constitutum, cum potestate ordinaria fori parochialis, parochiales appellantur, et generaliter sunt

baptismales, quamvis omnes baptismales non essentialiter sint parochiales.

§ III. — Consecratio ecclesiarum.

1<sup>o</sup> Nomine consecrationis ecclesiae, latiori sensu, intelligitur dedicatio ejus ad cultum divinum, ritu speciali a legitimo ministro facta, ut opera religionis in ea recte exerceri possint. Ignoramus quomodo sanctificatae fuerint ecclesiae tempore persecutionum; sed a tempore Constantini solemnes coeperunt fieri basilicarum, cathedralium aliarumque generaliter ecclesiarum dedicationes, ut videre est in historia ecclesiastica et apud P. Martène. Quamvis consecratio et dedicatio promiscue sumi soleant, inter utramque vocem aliquod nihilominus datur discrimen; dedicatio enim, quae etiam dicitur *encaenia*, initiatio, a verbo graeco *εγκαίνια*, est primus illius usus, et consecratio est ritus sacer quo ecclesia sanctificatur.

« 2<sup>o</sup> Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis » Domino locis, absque magna necessitate, fieri debere » liquet omnibus, quibus sunt nota Veteris et Novi Testamenti praecipua; » Decret. 3 part., dist. 1, cap. 1, et cap. 12, etc.

3<sup>o</sup> Missa igitur celebrari non potest in nova ecclesia vel capella ritu ecclesiastico nondum sanctificata. Duplici modo autem sanctificari potest, nempe per benedictionem et per consecrationem. Benedictio, prout in Rituali Romano et in aliis Ritualibus describitur, a quolibet sacerdote, ex speciali delegatione episcopi, fieri potest. Consecratio vero, cujus ritus et caeremoniae in Pontificali Romano reperiuntur, proprio diacesis episcopo reservatur, alieno episcopo delegari potest, sed non simplici presbytero. Episcopus qui, absque legitima delegatione, alienam consecraret ecclesiam, peccaret mortaliter et insuper maneret suspensus per annum; Decret. part. 2, causa 7, q. 1, cap. 28. Valet tamen consecratio.

4<sup>o</sup> Ecclesiae consecrari possunt qualibet die etiam non festiva, sed intra missam duntaxat, ut expresse habetur in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 2; et in Decreto, part. 3,



dist. 1, cap. 3. Valida tamen, licet graviter illicita, consecratio extra missam facta; *Ferraris*, v. *Eccl.*, art. 4, n. 3; *Bened.* xiv, Epist. 1 et 2 ad R. P. Engelbertum, die 16 nov. 1748, Bull. App. de consecratione et reconciliatione ecclesiarum longe disserit, et affirmat 1<sup>o</sup> potestatem consecrandi ecclesias episcopatu inhaerentem esse et a nullo pendentem; 2<sup>o</sup> auctoritate Apostolica presbyteris delegari posse, et reipsa nonnullis abbatibus delegatam fuisse, ea conditione ut chrismate ab episcopo consecrato uterentur; 3<sup>o</sup> consecrationem ecclesiae a pluribus episcopis simul fieri posse, et sic pluries consecratas fuisse ecclesias ab episcopis ad hoc congregatis, non ut assisterent sed ut comministri essent, suas quique partes expleturi, ut refert P. *Martène*. Unus potest consecrare ecclesiam, alter altare, tertius celebrare missam, plures ungere cruces, etc., idque sine ulla summi Pontificis dispensatione.

5<sup>o</sup> Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda: at si dubitetur eam fuisse consecratam, consecranda est, ex expresso textu Decreti, part. 3, dist. 1, cap. 16, 18 et 20.

6<sup>o</sup> De consecratione autem ecclesiae constare potest per unum testem de visu vel auditu, per notam in libris ecclesiae, vel pariete, vel tabula marmorea scriptam, quia sufficiunt semiplenae probationes quando nemini fit praedictum; *Ferraris*, art. 4, n. 79. Unde inferimus cruces numero duodecim in parietibus depictas, vel sensibilia earum vestigia, sufficere ad probandum ecclesiam fuisse consecratam.

7<sup>o</sup> Ex responsis S. Rit. Cong. 7 decembris 1744 et 29 julii 1780, quibus contradicere videtur responsio ad episcopum Gratianopolitanum, diei 22 maii 1835, officium a clero ecclesiae consecrandae strictim addicto, tam privatim quam publice recitandum est de Dedicatione, incipiendo ipsa die consecrationis ab hora tertia. Sic nobis tandem responsum est die 7 decembris 1844, scilicet *Vigilias faciendas, juxta Pontificale, de Sanctis; officium vero Dedicationis ecclesiae, non autem altaris solum, inchoandum esse, veracta consecratione, ab hora minori tertia.*

Plures auctores, ut *Guyet*, *Halden* et *Merati*, docuerant officium incipiendum esse a primis Vesperis; responsio ad episcopum Gratian. erat in eo sensu. Nunc non remanet dubium.

Vigiliae autem celebrandae sunt in honorem Sanctorum quorum reliquiae sub altare sunt recondendae. S. Rit. Congr. nobis instantibus adhuc respondit, die 14 junii 1845, *Pontificalis verba, in casu, intelligenda esse quod celebrentur Vigiliae cum matutino, laudibus, hymnis, canticis de Communi, cum simili oratione de Communi, sine nomine expresso, cum non sint partes officii diei.*

Insuper, per totam noctem et usque dum auferantur reliquiae, quaedam ante eas vigilare debent personae orantes et psallentes, juxta antiquissimum morem. Si contingat ecclesiam consecrari uno e diebus quodcumque festum excludentibus, v. g., die Paschatis, die Pentecostes, etc., dicetur missa de die, et fiet commemoratio Dedicationis. Officium recitandum vel cantandum erit pariter de die. Vide *Merati* in *Gav.*, t. 3, p. 302, et magis p. 306.

In vigilia consecrationis clerus et populus cui consecranda est ecclesia jejunare tenentur ex Pontificali. Sacra Rit. Cong. variis quaesitis respondens, die 19 julii 1780, apud *Gard.*, n<sup>o</sup> 4251, definiit 1<sup>o</sup> jejunium in Pontificali indicatum non esse de consilio, sed de praecepto; 2<sup>o</sup> obligare episcopum consecrantem et eos tantum qui petunt sibi ecclesiam consecrari; 3<sup>o</sup> esse simul locale et personale id est, ut nobis videtur, non obligare parochianos absentes, nec extraneos praesentes.

#### § IV. — Exsecratio et pollutio ecclesiarum.

1<sup>o</sup> Ecclesia dicitur exsecrata quando amissa est ipsius consecratio vel benedictio: id autem fit per ipsius destructionem.

Res quidem est evidens, et ex Decreto, part. 3, dist. 1, cap. 24, constat. Etiam si ergo ecclesia diruta, ex iisdem materiis reaedificaretur, iterum consecranda esset. Item si major vel nobilior pars, v. g., altare et sanctuarium, destruat aut addatur, minore parte relicta, quia non est



eadem moraliter ecclesia; *Ferraris*, varia citans capita juris, v<sup>o</sup> *Eccl.*, art. 4, n. 23 et 24. Si Ecclesia igne comburatur, et anteriores parietes ex toto vel ex majori parte sint devastati et abrasi, quamvis non corruant, nova necessaria est consecratio; quia in his partibus præcipue censetur residere consecratio, ubi videlicet sunt cruces et fiunt unctiones; Decreto, part. 3, dist. 1, cap. 20.

Contra vero si minor pars destruat vel addatur, majori remanente, v. g., unus paries dirutus reædificetur, pavimento renovetur, tecta comburantur, parietibus integris remanentibus, etc., non iteratur consecratio nec benedictio, quia eadem moraliter remanet ecclesia, et ex regula 42 juris, in Sexto, *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. Nec obstat quod ecclesia per partes, successive renovata, tota fuisset mutata; semper enim eadem moraliter remansisset.

Ex cap. 24, dist. 6, part. 3 Decreti jam citati, eruitur quod notabiles partes additas, licet ecclesia maneat consecrata, cum aquæ benedictæ aspersione exorcisari congruat. Ita *Ferraris* et plures alii.

2<sup>o</sup> Ecclesia est polluta quando, propter aliquam indecentiam aut repugnantiam, ad usus sacros jure declaratur inhabilis. Quadruplici modo id contingere potest, scilicet per homicidium, per sanguinis effusionem, per seminis humani emissionem et per infidelis sepulturam.

1<sup>o</sup> Per homicidium voluntarium et graviter culpabile, etiam sine sanguinis effusione, non vero per homicidium casu eventum, ab amente vel ob justam sui defensionem commissum. Ita *Ferraris* aliique canonistæ, ex Decreto, part. 3, dist. 6, cap. 19, et Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 3.

Voluntaria rei juste condemnati occisio in ecclesia eam pollueret, quia injuriosa esset ecclesiæ et ipsi reo jus habenti ut ibi non occidatur.

Si quis, accepto vulnere extra ecclesiam, ad eam confugiat ibique moriatur, eam non polluit; si, e contra, vulnus mortale intra ecclesiam acceperit et extra moriatur polluta est. Ita *Ferraris*, art. 4, n. 40.

Si quis ab extra hominem in ecclesia positum occidat,

eam polluit; non vero si ab ecclesia aliquem extra perimat; quia in priori casu et non in posteriori homicidium in ecclesia patrat. *Sic communiter canonistæ*.

Qui autem est in sacristia, in turri campanarum, sub tecto et super camera, censetur extra ecclesiam.

2<sup>o</sup> Per sanguinis effusionem ecclesia polluitur, ut propriis verbis statuitur in Decreto, part. 3, dist. 1, cap. 20; Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 10, et Sexto, l. 4, tit. 21, capite unico. Quædam autem conditiones requiruntur, nempe 1<sup>o</sup> ut sanguis effusus sit humanus, non vero aliquid bestię; 2<sup>o</sup> ut sit in notabili quantitate, alioquin non esset proprie effusio, quantumvis gravis fuisset percussio et etiam ossium confractio; 3<sup>o</sup> ut effusio sit voluntaria, quia supponitur crimen, ac proinde actus humanus: unde si per accidens, puta ex casu, aliquis graviter vulneretur et magna quantitas sanguinis effundatur, ecclesia non erit polluta; 4<sup>o</sup> graviter injuriosa, secus non esset crimen nec gravis irreverentia erga locum sacrum. Hinc si ex levi vulnere sanguis copiose effundatur per nasum, ut quandoque accidit in pugnis inter pueros, ecclesia non censetur polluta: pollueretur vero si hæc quantitas ex gravi percussione in nasum proveniret: gravitas aut levitas percussione ex communi hominum æstimatione judicatur: in dubio, ecclesia habenda est ut non polluta, juxta regulam juris *Odia restringi convenit*; 5<sup>o</sup> ut gravis percussio in ipsa ecclesia facta fuerit, eo modo quem diximus de homicidio.

3<sup>o</sup> Per seminis humani effusionem, ut in dissertatione nostra de sexto præcepto dicimus.

4<sup>o</sup> Per infidelis aut excommunicati denunciati sepulturam; Decretal. l. 3, tit. 28, cap. 12, et tit. 40, cap. 7. Nomine infidelis intelligitur infans sine baptisate decessus, nisi ex utero matris non fuerit extractus et cum illa sepeliatur, quia nondum natus, portio viscerum matris videtur esse. Ita multi apud *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Eccl.*, art. 4, n. 52. Nonnulli tamen infantes fidelium excipiunt, dicentes eos tales censerı quales sunt parentes: sed opinio quæ tenet illos non excipiendos esse, longe communior es te improbabilior videtur.



Sepultura hæretici publici, sed non denunciati, ecclesiam probabiliter jure communi non polluit; quia cum non sit vitandus vivus, nec obligatio est eum vitandi mortuum.

Diximus *jure communi*; quia auctores non pauci et multa Ritualia, antiqua et nova, saltem in Gallia, decernunt ecclesiam ac cœmeterium pollui per sepulturam hujusmodi hæretici: in unaquaque autem diœcesi standum est disciplinæ existenti.

Concil. Trid., sess. 25, cap. 19, de Reform., vult ut qui in duello decesserint *perpetuo careant ecclesiastica sepultura*; et Bened. XIV, Const. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, § 9, declarat privationem sepulturæ ecclesiasticæ a concil. Trid. inflictam, « incurrendam ante sententiam judicis, a » decedente quoque extra locum conflictus, ex vulnere » ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim in » dictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non » incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis et » censuris solutionem obtinuerit, sublata episcopis et or » dinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dis » pensandi facultate; Bull. t. 4. Hinc annotator *Ferraris* concludit ecclesiam ac proinde et cœmeterium violari per sepulturam ejus qui decessit in duello, etiamsi denunciatus non fuerit. Sed *Ferraris*, plures alios citans, contrarium sentit, et talis violatio in Gallia non admittitur, licet honores sepulturæ ecclesiasticæ in duello decedentibus absque pœnitentiæ signis et reparatione scandali denegentur. Vide *Giraldi*, t. 1, p. 425.

Predicti autem casus ecclesiam non violant, nisi sint publici aut publice innotuerint. Sic omnes, ex variis textibus juris, et habent ut occultum quod duobus vel tribus notum est testibus discretis: si autem factum prius occultum fiat publicum, ex eo tempore ecclesia habenda erit ut polluta; *Ferraris*, art. 4, n. 57.

Oratoria privata non proprie polluuntur. Si quod tamen ex factis ecclesiam polluentibus in eis acciderit, eo ipso cessat aultas obtenta missam in eis celebrandi.

Non licet, nec visum eris, habitare diu noctuque et

etiam dormire in domibus ædificatis supra capellis in quibus quotidie missa celebratur, sed omnino prohibendum. (*S. R. Cong. die 11 maii 1641, apud Gardel., t. 1, p. 327.*)

Subtus vero oratoria vel ipsas ecclesias adesse possunt *horrea, cellæ vinariæ aut apothecæ*. (*Ferraris*, vº *Orat.*, n. 92). Hæc tamen supra non decerent, et IV Concil. Mediol. stricte fuerunt prohibita. (*Act. Eccl. Mediol., t. 1, p. 101.*)

§ V. — Effectus pollutionis ecclesiæ.

1º Effectus violationis alicujus ecclesiæ sunt: 1º ut reconciliari non possit quin prius amota fuerit causa pollutionis adhuc subsistens, v. g., cadaver infidelis exhumatur; 2º ut nemo in ea vel in cœmeterio polluto sepeliatur ante reconciliationem; 3º ut nec missa, nec aliud officium ecclesiasticum in ea celebretur; quicumque enim secus ageret aut mortuum sepeliret, mortaliter peccaret; *Ferraris* et alii multi cum illo, art. 4, n. 59.

In eo casu, parochus ad episcopum recurat, et interea cæremoniis sepulturæ, quæ differri non potest, in ecclesia non polluta peractis, relinquuntur cadaver civiliter in cœmeterio recondendum.

2º « Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante ca- » nonem, dimittatur missa; si post canonem, non dimit- » tatur: » sunt verba Miss. Rom. de Defect., tit. 10, n. 2. Statim, juxta Rituale nostrum, SS. Sacramentum auferatur, altaria exspolientur, etc.

3º Causæ quæ polluunt ecclesiam polluunt cœmeterium; textus enim juris cœmeterium sicut ecclesiam spectant. Unde polluitur cœmeterium si reus ad mortem damnatus in eo occidatur; si infans sine baptismo mortuus ibi sepeliatur.

4º Polluta ecclesia, eo ipso polluitur cœmeterium ei contiguum; quia censetur res una cum ecclesia, et *accessorium naturam sequi*, etc.; secus si ab ea esset separatum. Contra vero, polluto cœmeterio, non ideo pollueretur ecclesia ei contigua; quia non convenit principale naturam accessorii eam. *a omnes*



Si ecclesia rueret vel incendio periret, non ideo prohiberentur sepulturæ in cœmeterio.

§ VI. — Reconciliatio ecclesiarum.

1<sup>o</sup> Ecclesia penitus vel ex majori parte reedificata, vel etiam parietibus renovata, debet nova consecratione dicari, inquit *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Consecrat.*, n. 9 : etenim non eadem, sed altera est ecclesia.

2<sup>o</sup> Contra vero ecclesia solemniter ritu consecrata, quocumque etiam enormi crimine polluat, iterum consecrari non debet, quia consecratio assimilatur Baptismo, et circa idem objectum nunquam iteratur : sic expresse *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Eccl.*, art. 4, n. 74 et seq., *Devoti* alique canonistæ, quamvis caput 20, dist. 1 partis 3 Decreti contrariam dispositionem habere videatur. Procedendum est igitur ad ejus reconciliationem, quæ ab episcopo facienda est, secundum ritum in Pontificali præscriptum, utendo aqua ad hoc specialiter benedicta, cum vino et cinere, ad significandum peccatorum reconciliationem ; semper enim cinis fuit signum pœnitentiæ.

3<sup>o</sup> Episcopus diœcesanus alium delegare potest episcopum ad hanc reconciliationem faciendam, non vero simplicem sacerdotem ; id expresse prohibetur a Greg. IX, in Decretal. l. 3, tit. 40, cap. 9, et sic S. Congr. Rit. pluries decrevit.

4<sup>o</sup> Romanus autem pontifex hanc facultatem delegare potest simplicibus sacerdotibus ; sic S. Congr. Rit. decrevit 19 maii 1607 ; ita habet Bened. XIV, in I Epist. superius citata, § 2. Ex speciali Leonis X concessione, hoc privilegium habent generales, provinciales, etc., ordinum Mendicantium et aliorum quorundam non mendicantium ea conditione ut aqua ab episcopo diœcesano benedicta utantur, nisi episcopus duobus diebus, circiter 13 vel 15 leucis, ab ecclesia reconcilianda distet. Pius VIII facultatem concessit, 3 martii 1821, vicario generali diœcesis Carpensis, referente *Romsœ*, « sive per se, sive per alios » sacerdotes ab ipso specialiter deputandos, reconciliandi » ecclesias consecratas (*quæ variis modis profanatæ fue-*

» rant), de quibus in precibus, servato ritu a Pontificali » Ramano præscripto, adhibita aqua per catholicum episcopum copum benedicta. »

« Usus tamen obtinuit, ut, facultate prius ab ordinario impetrata, sacerdos illam reconciliet, eam quæ Gregoriana dicitur aquam adhibendo, et juxta formam in Pontificali Romano descriptam. » (*Rit. Paris.*) Collet testatur, episcopo absente, vicarium generalem dictam ecclesiam per se aut per alium reconciliari posse (*Abrégé du Dict. des Cas de consc. EGL. cas. 17*).

5<sup>o</sup> Si ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, per simplicem sacerdotem ab episcopo aut a vicario generali delegatum reconciliari potest, juxta formam in Rituali Romano et in aliis Ritualibus statutam. Sic Glossa in cap. 10, tit. 40, lib. 3 Decretal., Rituale Rom. *Ferraris*, art. 4, n. 72 et alii.

6<sup>o</sup> Etsi ecclesia per sacrilegia publica, ab homicidio, sanguinis aut seminis effusione, infidelis vel excommunicati sepultura distincta, per exercitia hæretica, profana, impia, per hominum vel animalium in ea stabulorum spurcitas, etc., stricte ad sensum juris canonici, non polluat, maxime tamen decet et praxis est ut per episcopum vel per sacerdotem ab eo delegatum cum aliqua cæremonia reconcilietur et abluatur. Ita S. *Ligorius*, l. 6, n. 368 post *Layman*.

7<sup>o</sup> Cœmeterium pollutum reconciliari potest per simplicem sacerdotem ab episcopo aut vicario generali deputatum, et sequendus est ritus specialis in Rituali præscriptus.

8<sup>o</sup> Si per gravem aliquam indecentiam, non quidem stricte pollutum, sed profanatum fuisset, aliqua cæremonia expiatoria sanctificandum foret, quemadmodum de ecclesia diximus, idque juxta episcopi iudicium.

§ VII. — Necessitas ecclesiarum.

1<sup>o</sup> *Constat ex dictis* ecclesias semper exstitisse et aliquo ritu sacro sanctificari debuisse : jure communi et ordina-



rio prohibetur ne missa extra loca sacra celebretur, et Concil. Trid. hanc dispositionem juris renovavit ac confirmavit sess. 22, Decreto de Observ. et vitandis in celebr. missæ.

2° Certum est tamen, in primis Ecclesiæ sæculis, tempore persecutionum, missam frequenter celebratam fuisse in domibus privatis, in speluncis, in cavernis, in carceribus, etc., et in Decreto, part. 3, dist. 2, cap. 1, legitur missarum celebrationes alibi quam in sacratis Domino locis, *absque magna necessitate*, fieri non debere. Adveniente ergo magna necessitate, v. g., peste, bello, persecutione, ecclesiæ dirutione, itinere per regiones infidelium, etc., missam in loco non sacro, aliunde honesto, celebrare licet, *etiam absque licentia episcopi, si absens sit et difficulter adiri possit*, ait Ferraris, vº *Missæ*, art. 4, n. 4; concilium enim Trid. talem celebrationem in hujusmodi casibus prohibere voluisse non censetur, *quoniam*, ut fert cap. 16, dist. 1 tertiæ partis decreti, *necessitas legem non habet*. Sic *S. Th.*, 3 part., q. 83, art. 3, ad 2<sup>am</sup>; *Suarez*, *Bened. XIV*, *S. Ligorius*, l. 6, n. 356, etc. Hinc missa celebratur in castris etiam sub dio pro exercitu, sed festivis tantum diebus, aut aliis diebus pro generalibus et privatis ducibus in eorum tentoriis.

In his tamen et similibus casibus, si per tempus liceat, semper impetranda est concessio episcopi, qui aut iudicabit causam esse sufficientem, aut per dispensationem in dubio relaxabit legem.

3° Quilibet sacerdos missam omni die celebrare potest, 1° in omni ecclesia publica, consecrata, vel benedicta, non polluta, aut reconciliata, positis aliunde ponendis; 2° in oratorio benedicto, ad usus sacros destinato, et januam in via publica habente, etsi privata in eo existat janua domui alicujus sæcularis affixa; 3° in oratoriis seu capellis communitatum, puta hospitiorum, seminariarum, collegiorum, monialium, etc.: sic declaravit S. Congr. Rit. 2 sep. 1661; 4° in oratoriis quæ habent episcopi, sive in palatiis suis, sive in domibus rusticis, etiam extra proprias dioceses, ut ex decreto Cong. Concil., 22

sept. 1640 concluditur, quia domus episcopi non censetur privata.

4° In oratoriis autem privatis sæcularium legitime erectis celebrare non licet diebus in diplomate reservatis, nempe in solemnioribus festis, apud nos quinque annualibus, scilicet Nativitate Domini, dominicis Paschæ et Pentecostes, Assumptione B. Mariæ Virginis et festo primarii parochiæ patroni.

*Bened. XIV* contendit, de Sacrif. Missæ, l. 3, c. 6, n. 1, et 2, facultatem qua omni tempore pollebant episcopi diocesis suis oratoria privata concedendi, ipsis per decretum concilii Trid., sess. 22, de observandis et vitandis in celebratione missæ, ademptam esse. Verum in Gallia mos antiquus valuit post istud decretum, sicut antea. Solemniores semper reservantur dies juxta dispositionem concilii Agath. anni 506 relatum in jure can., Decreto. part. 3, dist. 1, cap. 35.

5° Privilegio gaudent episcopi et cardinales altare viaticum habendi, illud ubicunque fuerint in propria vel in aliena diocesi erigendi, atque in eo celebrandi vel celebrare faciendi; cap. 12, tit. 7, lib. 5, in Sexto.

6° Clemens XI, per decretum 15 decembris 1703, hanc facultatem episcopis et cardinalibus abstulerat quoad domos laicas, etiam in propria diocesi; sed Innocentius XIII, bulla diei 3 maii 1723, a Bened. XIII anno sequenti, 17 sept., confirmata, declaravit prohibitionem Clementis XI non intelligendam esse « de domibus etiam laicis » in quibus dicti episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiuntur; ut nec etiam quando episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis apostolicæ licentia, absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis. »

7° Juris communis restrictiones a Clemente XI factas in Gallia admissas fuisse non arbitramur.

8° Cum autem prædictum episcopi privilegium sit personale, alii sacerdotes etiam ipsius comites, eo absente, in domibus privatis celebrare non possunt; *S. Ligorius*, l. 6, n. 358.